

Valahfridus (Wilfried Stroh)

De Othono ab Habsburgo Latinae linguae fautore nuper mortuo

Otho ab Habsburgo, ut ipse sese appellauit, Austriae archidux – et, si fata uoluissent, imperator ac Caesar futurus – die 4 m. Iulii hoc anno nonaginta octo annos natus de hac uita decessit, cum in meliorem se transgressurum speraret.

Hic uir uelut egregium monumentum ipsa uetustate quasi religione sacrum e priscis temporibus nobis, qui aetate minores sumus, relictum uidebatur. Quem picturae quaedam photographicae una cum Francisco Iosepho imperatore et quasi patre Austriae stantem demonstrant; qui ipse Caroli I ultimi imperatoris Austriae filius A.D. 1912 natus est, tum quasi certus successor imperii.

Sed post rerum summam perturbationem A.D. 1918 expulsus e patria cum suis in Hispania, postea etiam in Heluetia, Belgio, Francogallia, America aliisque terris exul uitam degebat, donec in Bauaria denique stabilem sedem inuenit. Neque umquam se a rebus publicis abstinuit. Nam quo tempore nondum de reditu ad Caesaream dignitatem desperauerat, Lutetiae Parisiorum ardentissimis epistulis Hitleri Nazistarumque consilia oppugnabat, occupationem illam Austriae suae nomine redditus celebratam ut scelus ac rapinam detestabatur. Quare eum illi morte damnauerunt absentem, etiam ciuitatem Austriacam A.D. 1941 ademerunt. Post Bellum maximum secundum autem abdicauit se tandem aliquando omni spe ac iure priscae maiestatis (inque libro telephonico se ut paene mediocrem ciuem nominauit *Habsburg Otto von*). Quare A.D. 1966 ei ciuitate restituta etiam Austriae patriam ingrediendi facultas permissa est.

Tunc autem consensu omnium optime de salute communi meritus est quod munere praesidis Paneuropaea Unionis functus, magis etiam legati officium in Senatu Europaeo explens per plurimos annos congregationem concordiamque populorum Europae pro parte uirili factis dictisque fouit et auxit. Maxime autem enitebatur ut etiam gentes orientales Hungarorum, Slouenorum, Croatarum ad foedus hoc Europaeum admitterentur: sentires eum ortum esse ex illo regno, quod k.u.k. litterae signauerant. Quo in studio eum uehementer adiuabat multarum linguarum peritia. Dicitur enim tam bene Hungarice et Croatice locutus esse quam Francogallice, Hispanice, Anglice, Germanice. Sed has omnes linguas amor Latinae linguae, ut par erat, superabat, quam ille uenerabatur tamquam hereditatem pulcherrimam humanitatisque fontem sincerissimum.

Quare cum A.D. 1979 Bruxellis in Senatu illo Europaeo Capanna legatus siue senator Italus communista ad perturbandos prouocandosque animos omnium, puto, Latina lingua usus esset, qua nouitate percussus uniuersus senatus conticuit, unus Otho noster de sede surrexit et oratione Latina breui sed diserta collegae respondit: Eis quidem dixit se minime assentiri quae Sinister ille collega dixisset, sed tamen ualde gauisum esse gratularique ei quod usus esset *lingua vere Europaea et matre quodammodo omnium nostrum, qua diutius carere in hoc concilio vix liceret*. Querebatur autem de hominibus nostrae aetatis, qui *propter egestatem cultus atque humanitatis* non uiderent quam utile esset Latine loqui. Sic enim maxime fieri ut *humaniores et sapientiores* homines fierent *totque gentes, tot nationes omni respectu diuersae* inter se conciliarentur. Desiitque tandem in uerba Vergiliana:

*maneat nostros ea cura nepotes.*¹

¹ Quae oratiuncula tota in periodico *Pro lingua Latina* (2,1999, p. XXIV-XXV) edita est una cum epistula Germanica, quam Otto tum ad Ioannem Guarnerium (Hans-Werner) Fröhlich dederat, cum ille id scriptum

Fusius autem de simili materia egit in epistula quadam, quam ad me misit die 25 Mart. A.D. 1985. Cur id fecerit si quaeritis: uocaueram ego Othonem ab Habsburgo modestissimis litteris ad LVDOS LATINOS, quos tum Augustae Vindelicum editurus eram. Putauit enim eum maximum splendorem allaturum esse his ludis, ad quos ex omnibus fere partibus orbis terrarum homines uenturi erant. Ergo his mihi respondit, quae ad uerbum et comma diligentissime exscribo:²

*Otho ab Habsburgo
Austriae Archidux
viro doctissimo doctori atque professori
VALAHFRIDO Stroh salutem dicit plurimam.*

Pro vinculis quae mihi sunt quaeque maioribus meis³ semper fuerunt cum urbe Augusta Vindelicorum⁴ gratulor vobis quod instaurabitis ludos Latinos quibus adesse – si quomodo potero – curabo.⁵

Quod bonum felix faustum sit: pergitte hac via qua monstrabitis omnibus vel mediocriter doctis recte dixisse summum pontificem Joannem XXIII gratissimae memoriae, qui ad linguam Latinam valde colendam vocavit nos omnes cives Europae;⁶ est enim, ut ait Pontifex ille, lingua Latina lingua Europae viva, quasi sempiterna,⁷ communis omnibus hominibus bonae voluntatis,⁸ qua amissa iam non erit qui sine difficultatibus maximis legat optimos auctores medii aevi vel aevi moderni. Qui enim legemus Milton,⁹ vel poetam maximum omnium Shakespeare¹⁰ nisi prius legerimus opera Vergilii Maronis aut Titi Livii ne plures numerem. Erit qui legere possit tragoidiam illam quae „Britannicus“ inscribitur, a doctissimo poeta Racine compositam, nisi prius perlegerit Cornelii Taciti Annales?¹¹ Quid dicam de maximis meritis eorum qui prioribus saeculis Augustae Vindelicorum ingenia sua dederunt studiis et doctrinae tot rerum? Testis est illa TABULA PEUTINGERIANA,¹² quam et hodie qui student et favent antiquitati Romanae recte admirantur? Quid de viris mensariis¹³ Fuggeris Welserisque qui pecunia sua adiuvaverunt¹⁴ exploratores Hispanicos¹⁵

poposcisset. De qua nunc Hermannus Krüssel editor eius periodici sese scripturum indicauit. Cui gratias ago quod mihi apographum misit, e quo supra nonnulla afferre licuit.

² Duo tresue errores ab amanuense typographo commissos emendaui, nil amplius.

³ Cogitandum est praesertim de Maximiliano I imperatore Romano, qui Augustae Vindelicum etiam per multos annos habitabat cuiusque plurima monumenta ibi exstant (ut ipsa uia Maximiliana).

⁴ Forma nunc usitata, uetustior est *Augusta Vindelicum*.

⁵ Quod tamen, eheu, non contigit.

⁶ Spectat ad Constitutionem Apostolicam *De Latinitatis studio provehendo*, quae incipit a *Veterum sapientia*, d. 22 m. Febr. 1962 ab Iohanne XXIII editam, quam hoc loco inuenies:

http://www.vatican.va/holy_father/john_xxiii/apost_constitutions/documents/hf_j-xxiii_apc_19620222_veterum-sapientia.html. Inuria hic papa popter Concilium II Vaticanum, quod tamen missae Latinae nocuit, a multis quasi inimicus Latinae linguae existimatur.

⁷ Iam Pius XI (1922): *Ecclesia ...sermonem suapte natura requirit universalem, immutabilem, non vulgarem.*

⁸ Ev. Lucae 2,14

⁹ Johannes Milton ipse optima carmina Latina scripsit; hic autem significari uidetur eius carmen epicum *Paradise lost* (De paradiiso perduto).

¹⁰ Cogitare uidetur potissimum de *Coriolano*. Quam Shakespeare antiquis litteris cultus fuerit, demonstrauit T.W. Baldwin, *William Shakespeare's Small Latine and Lesse Greeke*, Urbanae 1944.

¹¹ De Britannico D. Claudi filio a Nerone sublato Tacitus scripsit in libris XII et XIII Annalium; quem Racine minime seruiliter secutus est.

¹² Itinerarium Imperii Romani pictum antiquissimum, quod Conradus Celtis inuenit, tum in possessione fuit Conradi Peutinger Augustani, de studiis uetustatis singulariter meriti; specta imaginem http://soltdm.com/sources/mss/tp/tp_0.htm

¹³ Vox rarior, sed antiqua, pro argentariis, trapezitis.

qui litteras nostras secum portarunt¹⁶ una cum armis et fide Catholica, licet non semper bene usi sint armis suis¹⁷ qui terras novas et incognitas id temporis patefecerunt hominibus continentis nostrae? Sunt testes rerum gestarum, sunt magna exempla viri docti Michaelis Antonius Caro, qui ante hos annos nonaginta praefuit rei publicae Colombianaे qui optime in linguam Hispanicam transtulit opera omnia Vergilii Maronis¹⁸ vel Andreas Bello Venezolanus¹⁹ vel R. Josephus Cuervo²⁰ oriundus isdem terris. Num piget Africanos quod inter eos qui novis civitatibus praefuerunt exstat poeta Leopoldus Senghor, Latinitatis optimae auctor et fautor, poeta laureatus terrae Africanae?²¹ Ne plura dicam

perge modo et, qua te dicit via, derige gressum²²

Vale iam et cura ut quae facere instituisti omnibus nobis ferant salutem

Otto v. Habsburg²³

Quam pauci eorum qui nunc Latinas litteras in scholis profitentur talem epistulam scribere ausit, nedum possit? Dubitaueris utrum magis puritatem sermonis et styli elegantiam admireris an immensam copiam et quasi siluam doctrinae, quae omnia tempora ac terras complectitur. Hic est orator ille quem Tullius noster poposcit qui de omni re proposita prudenter copiose grauiterque possit dicere. Hic si factus esset imperator aut Austriae aut – si priora tempora respicias – Sacri Romani Imperii, quam effloruissent hisce auspiciis bonae litterae! Sed ne insanire credamus, nolumus somniare. Dicamus:

Sit tibi, Otho ab Habsburgo, Vindobonae in urbe uestra terra leuis!

¹⁴ Pro adiuuerunt, non numquam etiam in uetustis codicibus; cf. F. Neue / C. Wagener, *Formenlehre der lateinischen Sprache*, vol. 3, Berolini 3¹⁸⁹⁷, 388.

¹⁵ Praesertim Iacobus Fugger Diues uocatus et Antonius Fugger de domo Habsburgensi meriti erant. Mercaturam Americanam etiam magis exercebant Welseri, cf. nunc Jörg Denzer, *Die Konquista der Augsburger Welser-Gesellschaft in Südamerika 1528-1556*, München 2005 (de Venetiola). De eorum studiis antiquitatis cf. Wolfgang, Kuhoff, „Augsburger Handelshäuser und die Antike“, in: J. Burkhardt (ed.), *Augsburger Handelshäuser im Wandel des historischen Urteils*, Berlin 1996, 258-278

¹⁶ Iam Columbus satis bene Latine sciebat; de Latina lingua una cum litteris in Americam translata cf. J. Ijsewijn, *Companion to Neo-Latin studies, part I*, Louanii 2¹⁹⁹⁰, 284 –310.

¹⁷ Notissima est crudelitas Hispanorum aduersus indigenas exercita.

¹⁸ Miguel Caro etiam ipse Latina carmina scripsit, cuius uersum optimum laudat Ijsewijn (l.c. 300): *libri alimenta animae, Musae solamina nobis*.

¹⁹ Andrés Bello quoque Latinos hexametros praeter carmina Hispanica scripsit; amicus et socius erat Alexandri ab Humboldt.

²⁰ Rufino José Cuervo grammaticus Columbianus, cum Latinis Graecisque litteris operam dedisset, studuit praesertim linguae Hispanicae. Quem in lexicis nostris non facile inuenias; apud Google *José Cuervo* liquor est alcoholicus. Viuit eius nomen in *Instituto Caro y Cuervo* Columbiano.

²¹ Leopoldus Senghor Afer uerissimus Latinis Graecisque litteris imbutus docebat in uariis scholis Francogalliae, donec A.D. 1960 praeses rei publicae Senegal creatus est. Notissima sunt eius carmina Francogallica. A.D. 1977 in urbem Dakar IV Conuentum Academiae Latinitati fouendae uocauit, quod ubique terrarum homines ualde admirabantur.

²² Verg. Aen. 1,401.

²³ Hisce litteris propria manu additum.